

etiam quoque *Pignorium*, & (a) *Martinum Sandellium*, *Contareno* conjunctissimos, & per omnia pares; amore, & veneratione summa profecutus est.

At non solum doctrina, & amicorum delectus tantum virum apud omnes commendavit plurimum, immo vero, quod aliis summum est, gradus illi fuit. Etenim sic ille modestiam, & gravitatem sermonibus cunctis praefetulit, ut nec mendacium, nec intemperantius dictum, nec fraudem ullam vel joco probare posset, adeoque ab omni verborum obscenitate temperaret, ut Vestalibus arbitris loqui crederes. Neque vero sermone solum, sed omni etiam vita pietatem supra quam dici possit egregie coluit; at solidam, sinceram, omninoque nudam; non contractione frontis, obtorta cervice, & gravi supercilio arcessitam; non fictam, & incessu, & motu, blandaque oratione ad hominum opiniones captandas simulate compositam: cum versipelles illos odio vatiniiano prosequeretur, qui pietate, & religione, quasi nummis adulterinis, simplicibus hominibus fucum facere soliti, proborum virorum nomen sibi conciliant immerito. Ea vero continentia, & temperantia fuit, ut eximias formae pulchritudines, non libidinis, sed abstinentiae, ac virtutis incitamenta crederet: divitias, quas alii munera fortunae vocant, ipse insidias diceret, quas magnanimus vir, & invictus jure quodam contemnat, atque despiciat. Magnus enim, excelsusque animus, si immani, & essera habendi siti correptus non fuerit, nullum opulentius, atque praestantius patrimonium habere potest, quam ingentis virtutis, aeternaeque gloriae: at vero si avara febris aestuare coeperit, ut aeger aequae aureo, ac ligneo in lecto male cubat, cum suum morbum continenter ferat: sic nihil refert utrum in divitiis, an in paupertate aegrum animum ponat; suum secum trahit inexplebile desiderium. Omnia contemnere quilibet potest; cuncta possidere nemo. *Andreas* vero cum divitias omnes pro nihilo duceret, divitum etiam elatorum inflatos mores odio

vare nititur: ne hic plura addam de *Pignorii* studio in emendanda illustrandaque *Mauroceni Historia*, quod supra innui; qua de re in epistola ibi laudata ita *Lollinus* ad eundem scribit: „Facis, quod istam tuam FIDEM in AMICOS etiam fato sanctos decet; dum fa-
mae *Mauroceni* consulis, PIETATI sedulitatique TUAE multum debiturae. „Mutuum etiam erga *Pignorium* amorem testatur *Maurocenus* laudibus illis, quibus *Elogium Antonii Priorii*, Principis a *Pignorio* conscriptum profecutus est. Vide ejus *Opusculorum* paginam postremam, ubi haec occurrunt: „Salve interim, *Pignori*, pignore quolibet CARIOR, ac pretiosior. „*Tomasinus* in *Elogiis* inter praecipuos *Pignorii* amicos *Andream Maurocenum* recenset.

(a) & *Martinum Sandellium*) De *Sandellio* asserre plura non possum quam haec, quae ad calcem exstant operis italici: *Nuovo discorso di Torquato Tasso, nel quale si ha notizia di molti accidenti della sua vita*, &c. pubblicato da D. Martino Sandelli, *Padovano*: prodiit Patavii, ap. Jo. Bapt. Martinum, 1629. in 4. Ho letto, e copiato io Martino Sandelli, *Dottore dell' una e l'altra legge*, e Rettore in san Martino di Padova, il sopra scritto Discorso del Sig. Torquato Tasso, &c. Quam arcte *Andream Sandellium*, *Sandellium Andreas* noster complecteretur, satis liquere puto ex brevi illo, sed elegantissimo elogio, quo *Lollini Lacrymas Sandellius* commendat: ante ipsas *Lacrymas* una cum aliorum lucubrationibus editum est.

Non his tamen solummodo, quos *Crassus* recensuit, ex eruditorum numero, amice usus est *Maurocenus*. Ex ipsius epistolis carissimos illi fuisse colligo *Fabricium ab Aqua pendente*, pagg. 175. 197. 200. *Joannem-Franciscum Mussatum*, pagg. 194. & 205. *Prosperum Alpinum*, pag. 198. cujus etiam filium *Alpinum*, adhuc adolescentem, graviter commendat pag. 234. *Joannem Prævotium*, pagg. 198. 200. 224. 227. 235. 243. *Angelum Grillum*, *Casinaensem*, pag. 207. *Octavium Meninum*, pag. 225. *Alexandrum Syncliticum*, pag. 230. praeter alios quamplurimos, quorum nequaquam extremus fuit, omnium laude dignus, *Fortunius Licetus*.